

manitur, salva Ordinariorum iurisdictione ad formam SS. Canonum et Apostolicarum Constitutionum.

Datum Romae e Secretaria memoratae S. Congregationis Episcoporum et Regularium die 27 Aprilis 1903.

D. Card. FERRATA, *Praef.*

L. † S.

PH. GIUSTINI, *Secret.*

---

## DECRETUM.

### Approbationis Instituti Sororum a Sancto Ioseph in Ditione Mexicana.

Anno Domini 1872 opera pie mulieris Caesaræ Esparza y Davalos, auspice rev. presbytero Iosepho Maria Vilaseca in Archidiecesi Mexicana, probante Archiepiscopo, ortum duxit Institutum Sororum a S. Ioseph B. M. V. Sponso nuncupatum.

Quae quidem Sorores, eum sibi peculiarem finem sive scopum proponunt, ut, ad maiorem Dei gloriam, primum consulant propriae cuiusque sanctificationi, servando vota obedientiae, paupertatis et castitatis, certisque inhaerendo constitutionibus, tum in proximorum salutem pro viribus incumbant per eruditionem et Christianam educationem puellarum, et in locis Missionum, quatenus rerum adiuncta postulent atque Episcopi suaserint, per alia etiam exquisitoris charitatis opera. Cunctae autem vitam ducunt perfecte communem, sub regimine moderatricis generalis, sexto quoque anno eligendae; et exacto novitiatu, praedicta tria vota prius ad tempus, dein in perpetuum, ritu simplici emittunt. Enimvero huiusmodi Instituto non defuit inde ab initio tentationis probatio; sed, opitulante bonorum omnium largitore Deo, bonum certamen certaverunt feliciter enunciatae Sorores, ita ut ipsae non mediocrem ediderint salutarium fructuum ubertatem et iam in quatuordecim dioecesibus domos canonice erigere potuerint. Quum autem nuper Moderatrix et Consiliariae Generales SS.mo Domino Nostro Leoni Divina Providentia PP. XIII humilissime supplicaverint, ut Institutum ipsum eiusque Constitutiones Apo-